



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum I. Quicumque.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

# TITVLVS XLVIII.

## DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

### CAPITULUM I.

#### Quicumque.

##### PARAPHRASIS.

Statutum fuit in Concilio Moguntino sub Carolo Magno, ut quicumque beneficium Ecclesiasticum habet, omnino adjuvet ad recta Ecclesiarum restauranda, vel ipsas Ecclesias emundandas.

##### SUMMARIUM.

1. Ecclesia possunt ædificari à quolibet, legitimo tamen consensu interveniente.
2. Ad quem spectet collapsarum, aut ruinosarum Ecclesiarum reparatio de jure antiquo?
3. Quid statuat in hoc casu jus novum Trid. Conclij?
4. Communiter tamen dicitur, tam circa Ecclesias, quam ad eas parochiales, quæ eodem cum Ecclesijs censentur jure, attendendam loci consuetudinem.

Notandum primò. A quolibet quidem posse ædificari Ecclesiam (in proprio fundo scilicet, vel in alieno, fundi tamen domino tacite saltem, & liberè contentiente) non tamen sine consensu Episcopi; aut si in loco exempto ædificetur, non sine consensu Summi Pontificis, uti patet ex cap. 4. de Religiosis domibus cap. 14. S. præterea de privileg. & cap. 4. S. prohibens eodem in sexto. Collapsas autem aut ruinosas Ecclesias reparare, de jure antiquo spectat ad ipsam Ecclesiam, si pro fabrica certam redditu portionem habeat cap. 1. & 2. consilio q. 3. vel si non habeat, aut non habeat sufficien-

tem, ad Rectorem talis Ecclesie, & illius Ecclesie beneficiatos, si sustentationi sue congrue superflua habeant, pertinet, uti patet ex h. cap. & cap. de his 4. h. t. ac cap. final. de his que a major. parte &c. Cum illius utique, qui de redditibus Ecclesie vivunt, & quibus pars ad fabricam spectans, fortasse concessa est, vel maxime incumbat, Ecclesie providere de redditibus, quos percipiunt ex Ecclesie bonis, necessarij tamen non sunt ad sustentationem congruam. Quin imò rectè putant aliqui, quamvis redditus omnes, quos percipit Ecclesia Rector illius, necessarij huic fortassis essent, non quidem ad vitam sustentandam, sed ad statum sui decentiam, & conditionem, de his tamen sustentationi vitæ superfluis teneri parochum, aut beneficium ad reparationem Ecclesie, cum status & decencia Ecclesie præferenda utique sint statui & decencie parochi, vel beneficiati talis Ecclesie. Quòd si tamen nec parochus nec beneficiati habeant, ut Ecclesiam reparare possint, tenentur ad illius reparationem parochiani omnes, qui in illa Ecclesia Sacramenta percipiunt; & quidem non tantum plebei, sed etiam nobiles, & quicumque alij parochiani, aliàs à tributis exempti, pro ut docent communiter omnes in cap. de his 4. h. t.

Notandum secundò. Quòd hoc jus antiquum videatur in aliquo correctum à Trident. Sess. 21. cap. 7. de reform. dum dicit, Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis incumbere, ut Ecclesias parochiales collapsas, etiam si juris patronatus sint, refici & innovari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque, ad Ecclesiam quo-

quomodocunque, pertinentibus: statuens insuper, ut si non fuerint sufficientes, omnes Patronos (ob ea scilicet, quæ patrono competunt, quamvis nullam ab Ecclesia illa pensionem habeant ut probabiliter in *relatum Trident. cap.* docent aliqui) & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes, percipiunt; aut in illorum defectum, parochianos, omnibus remedijs opportunis ad prædicta cogant, quæcunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ; concedens tandem licentiam Episcopis, ut si nimia egestate laborarent Ecclesijs transferant, sum dictas parochiales, quam alias Ecclesias directas; & facultatem dent in profanos usus (non tamen fordidos) erecta ibi cruce convertendi. Ita *Trident. l. c.* Communiter tamen omnes advertunt hæc in re, & questione, quinam ad Ecclesiam talem reparandam (aut ædes parochiales dirutas, quas eodem jure ceteri debere Cardinales Concilij Trident. Interpretes declararunt) concurrere debeant, & quo ordine, consulendam esse loci consuetudinem.

## CAPITULUM II.

## Cùm dicat Apostolus.

## PARAPHRASIS.

Graviter conqueritur Alexander III. in Concilio Lateran. quod aliqui non tam, quæ JESU Christi, quam quæ sua sunt quærentes, Leprosos, quis cum sanis habitare non possunt, neque cum illis, ad easdem Ecclesias convenire, peculiare Ecclesias, & cæmeteria non permittant, neque proprium Presbyterum, qui divina ipsis administret; præcipit proinde, ut communitati Leprosorum hæc talia non prohibeantur, ita tamen, ut injuriosi hi non sint veteribus Ecclesijs circa jura parochialia; neque enim, ut ait Pontifex, quod pro pietate illis concessum est, ad aliorum injuriam redundare debet; ad

decimas tamen ex hortis suis, & nutrimentis animalium dandas cogi non posse.

## SUMMARIUM.

1. Leprosi, si plures eorum simul habitent, sua peculiari Ecclesia, cæmeterium, & Presbyter, etiam intra limites parochialis Ecclesia concedi debet, sine damno tamen graviore parochialium.
2. Privilegium Leprosi concessum circa decimas extendi non debet.

Notandum primò. Eò quod leprosi cum sanis habitare non debeant, neque morbo da inficiat sanas oves, ut ait *Glossa in h. cap.* statuit Concil. Lateran. ut similibus peculiarem Ecclesiam, & cæmeterium edificare possint, etiam intra limites alterius Ecclesijs parochialis, ubi plures in communi simul habitantes leprosi commorantur (fortasse decem, ut ait *Glossa v. m.* vel etiam pauciores, modò Ecclesiam velint dotare) quibus per proprium Presbyterum divina mysteria & Ecclesiastica sepultura ibi celebrentur; ita tamen, ut circa jura parochialia, decimas v. g. mortuaria, oblationes, primitias &c. si horum aliquis usus est, grave præjudicium non inferatur veteribus Ecclesijs (quia etsi princeps alicui concedat edificare in loco publico, hæc intelligitur facere sine damno alterius, *L. secunda §. si quis à principe ff. de quodam loco publico &c.* neque alterius inopia relevari debet cum alterius jactura *cap. 18. can. 22. q. 2.*) quibus sua jura vult Pontifex integra, nisi in quantum in hoc *cap.* conceditur.

Notandum secundò. Privilegium concedi in hoc *cap.* leprosis, quod cogi non possint ex hortis suis proprijs, qui sunt in circuitu ædium suarum, & ad usum eorum deputati (aliter enim sentiendum esset, ut ait *Abbas in cap. hoc.* si longius distaret horti illi, vel fructus ex illis venderentur) & nutrimentis suorum animalium (de leprosis scilicet suorum animalium) præcipitur.